



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Ecclesia, Qvæ Est in Purgatorio

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Cap. I. De nomine Purgatorij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53890)



# CAPVT PRIMVM,

## *De nomine Purgatorij.*

**R**IA IN SCRIPTVRIS INVENIUNTVR, quibus tribuitur purgatio peccatorum, & purgatoria dici possunt. PRIMO, Christus ipse, de quo dicitur Hebr. I. *Purgationem peccatorum faciens.* Ioan. I. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sed de hoc non loquimur, tum quod non soleat Christus vocari Purgatorium, tum quod sit extra controuersiam eum purgatorem peccatorum esse.

SECUNDO, tribulationes huius vitę, de quibus ad literam videtur intelligendus Malachias, cap. 3. *Ipse sedebit quasi ignis conflagrans, & quasi herba fullonum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Nam, vt rectę exponit B. Hieronymus, hic agitur de tribulatione, quę præcedet diem iudicij ad purganda peccata fidelium. & Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit, vt fructum plus afferat.* De hoc Purgatorio non loquimur, tum quod sit extra controuersiam, tum etiam quod non semper tribulatio huius vitę sit purgatoria. Nam multi iusti affliguntur, non vt purgentur, sed vt exerceantur, & probentur iuxta illud Eccles. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Et multi iniusti affliguntur, non vt purgentur, sed vt incipiant damnationis suę pœnas gustare.

Vocatur ergo TERTIO Purgatorium, locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animę, quę in hac non plenę purgatę fuerunt, vt nimirum sic purgatę in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum. De hoc est tota controuersia.